



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 3. A quo, & quomodo tolli potest Suspendio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

Clericis, c. 1. de sent. & re judic. in 6. ex Conc. Gener. Lugdun. Secus, si exerceat tantum ea quæ sunt Jurisdictionis, vel quæ Laici possunt præstare, ut si canat Epistolam sine manipulo.

Resp. II. Suspensus à Beneficio licet occultus privatur omnibus suorum Beneficiorum fructibus, quibus continentur distributiones quotidianæ, utpote pars fructuum, ita ut non possit eos licite percipere, & receptos teneatur restituere ante omnem sententiam: nam Censura impedit eorum acquisitionem, unde ad eum non pertinent. Nemo autem retinere potest quod suum non est. Tenetur nihilominus Horas recitare, & alia onera Beneficii præstare; quia hæc obligatio annexa est Beneficio quod retinet; nec eâ liberatur ob privationem fructuum, quæ ei in pœnam culpæ justè imponitur, remanente onere; Censura enim non tollit onus in detrimentum Ecclesiæ & fundatorum.

Non videtur tamen privari jure eligendi, præsentandi, conferendi Beneficium, &c. sibi competente ratione Beneficii à quo suspensus est: quia electio & activa, præsentatio, collatio non sunt propriè loquendo fructus Beneficii, sed actus Officii tali Beneficio annexi: in materia autem pœnali verba sumi debent in sensu proprio & stricto.

Q. 3. A quo, & quomodo tolli potest Suspendio?

Resp. I. A suspensionibus, etiam si in Jure reservatæ non sint, non possunt Parochi, neque

Rr 5

alii

alii vulgares Confessarii absolvere, nisi speciale privilegium, vel delegatam potestatem acceperint à Papa, vel ab Episcopo, si non sint specialiter reservatæ Papæ.

Resp. II. Si Suspendio absolutè & sine determinatione temporis inflictâ sit ob contumaciam, tollitur per solam absolutionem. Si autem lata fuerit ad certum tempus, v. g. triennium, vel sub conditione; transactò tempore, vel conditione impletâ, suspensio cessat per se ipsam sine alia absolutione. Si vero imposita sit in perpetuum, ob culpam præteritam, tanquam mera pœna, tollitur solum per dispensationem seu relaxationem Prælati, vel ejus delegati: quia non est Censura.

Q. 4. Quibus casibus usitatoribus incurritur Suspendio ipso jure?

Resp. Sequentibus. 1. Qui Ordines sacros recipiunt vel ab alieno Episcopo sine dimissoriis vel à proprio in aliena Diœcesi, vel confictò titulo, vel per saltum, vel in Censura, vel extra tempora à jure statuta, vel sine legitima ætate, aut facultate, vel post Matrimonium contractum licet non consummatum: item qui furtivè ordinantur, hoc est, qui non approbati inter ordinandos irrepserunt, aut alium in sui locum substituunt examini; hi omnes suspensi sunt ab executione Ordinum, etsi Ordinem aliquem exerceant, fiunt Irregulares.

2. Qui eodem die duos sacros Ordines recipit.

3. Or-